

Cum æqua monarchæ
septentrionis
æquissimi
sententia, vir
vere celeber
atq[u...]

Hahn, Nicolaus Petri

1700-1829 81 Cbza Fol.



National Library
of Sweden

CUM

Æqua Monarchæ septentrionis

Æquissimi Sententia,

VIR VERE CELEBER atq; PRÆCLARUS,

MAG: **D**ANIEL **E**

JUSLENIUS,

G: nec non L: L: Orient: Professionem,

D: xviii Novemb: Anno MDCCXII,

capessere, clementissime juberetur.

Tenui ludebant Carmine.





Ubligat infaustos lateri nunc baltheus enses,
Umbones, frameæq; minaces (benis
Concrepitant rutilæ, Ionipes generosus ha-
Se castris simul arduus infert.

Turmæ terribiles nostros subiere penates,
Atque seges clypeata virorum,
Ferreæ conglomerant & cæde madentia tela,
Compactos penetrantia muros.
Odrysiusque ferox placidas exterminat artes,
Barbaries ut fæda triumphet.
Non tamen ad tantos strepitus Martisq; furores,
Omnem spem posuere Camœnæ.
Scilicet Assertor Patriæ, Rex inclytus armis,
Finibus Imperii licet exul
Et dubii secum libret discrimina belli
Obruta Mens variis Pia curis;
Tuta salus Sveciæ vigeat quo Præside in uno!
Hic tamen Aonidas regit æquis

77
Jussis, in mediis telis causamque tuetur,
 Illis inviolabile servans,
Pristina quod tribuit Celsorum Gratia Regum.
 Æquoreis Palinurus in undis,
Edoctus clavo trepidam torquere carinam,
 Prætumidos & frangere fluctus.
Præmia Cecropiæ nec desunt larga Minervæ,
 Nec mentes teneras moderantes.
Diffudit radios, longe lateque patentes,
 Ad Te Gratia Tanta benigne,
JUSLENI, Aonios inter Celeberrime coetus,
 Ingenii Tu dexteritate (plum
Nobilis, officium Tibi dum committitur am-
 Artibus erudienda juvenus
A Te Palladiis, nunc pulpita docta Lycei
 Omne dextro, fidere fausto,
Lætus & emeritus studiis, conscende Professor.
 Nunc petit invidiosa cacumen
Gloria, Teque Ducem claris præfecit habenis.
 Euganeos Tua Nomina Colles
Tangant, atque vehant longe præconia vatum
 Ad Garamantas atque Gelonos.

NICOLAUS HAHN.



O Rpheus, insignis Citharædus, pallida regna
Eumenidum petiit, mollia plectra Lyrae
Movit, ut Elysi mulceret spectra maligna,
Euridiceque comes mellea facta via:
Fœdere sed rupto, rursus delapsa, dolore
Percitus, Odrysi carmine, cuncta ciet,
Et Dryadas, filicesque nigras, genus omne ferarum;
Cæde sed infausta, Bistonique perit.
Fata dolens Helicon indignatusque liquores
Condidit irriguos: extulit inde caput,
Sub gremio terræ longo curvamine lymphis
Ductis, insolitis exsiliitque locis;
Ingeniosa fuit prisorum fabula varum,
Delius in sensus abdita solus eat.
Non aliud sibi vult Rhodopeia cantio dulcis,
Quam sophiæ monitis effera corda regi.
His lapides coeunt in mania celsa domusque:
Hæc placidos reddunt terrigenasque feros;
Tigride Caucaea ne quis truculentior esset,
Pectore nec filices atque adamanta gerat.
Sicque docent magnas hominum sociare cohortes,
Moribus excultis, legibus atque bonis.
Præterea Musis Helicon sacer errat opertis
Undis, inque alios exspatiatur agros.
Exiit aliloquis dudum iam Pallas Athenis,
Impurasque trahit nunc Achelous aquas.
Lingua Stagiritæ cessavit, docta Cleanthis
Atria spreta jacentu, Socraticique lares.
Prisca fuit Latii laus hæc: migrastis & illinc
Doctæ Heliconiades, Castalidumque chorus.
Sunt regnis studiisque vices. Itrorat Aboam
Lætam nunc Helicon, excipit ipsa vagas
Aonidas: Celebres Doctores jura loquelæ
Restaurant, artis dant documenta suæ.
Pectora præceptis Juvenum formare peritus
Nunc & in hoc cœtu conspiciendus adest.
Ergo novos meritosque tibi gratamur honores,
Destillent apices labia comta sacros:
Et quod Grajugenum potuit sapuisse vetustas,
Clare, tuas laudes posteritasque canet.

LAURENTIUS ODELIN.

